

desectit. Affirmat etiā solares quosdā angelos in galli effigie nonnunquā apparuisse, qui cū in se sine forma sint, nobis tamen, qui sumus in certā effigie informati, forma se præditos ea vidēdos exhibuēre. Contra verō Dæmonēs nonnunquā leonina frōte visos, qui obiecto gallo repente in auras euauerint: quare solēt etiamnū diebus his, superstitionis eius studiosi, gallinaceū pullū in pelliciendis eis concilii causa præmactare. Ad hæc tradunt Græcorū nōnulli, qui doctrinā Aegyptiorū sequuntur, animā Cecropis, quē in leonem trāsmutatam credebant, immolatis gallis gallinaceis, characteribus quibusdam subscriptis euocari, seq; illam eis ostendere: quod tamen esse ludibriū Aeneius Euxitheus affirmat, Dæmonēsq; ita nos præstigijs fallere contendit. Quod verō Dæmones, qui leonina fronte apparuerint, obiecto euanescent gallo, inde procedere dicit Proclus, q̄ in eodem ordine constituta, quæ inferiora sunt, superiora semper vereri coguntur. Quemadmodum pleriquē viri, dum virorum diuinorum imagines intuentur, hoc ipso aspectu vereri solent turpe aliquid perpetrare. Lucretius verō ex sectæ suæ præceptis ait esse gallorum in corpore quædam

Semina, quæ cum sunt oculis immissa leonum

Pupillas interfodiunt, acremq; dolorem

Præbent, vt nequeant contra durare feroces.

Mirum verō, quod veteres obseruarunt leonem etiā herbā ita nuncupatam, q̄ furculis sese circumplicādo plurimum nocet, gallum ita abhorrere, vt si puella adhuc intacta, mēstrua tamē, nuda pāsis crinib; leguminum segetē circumeat, gallū in manibus habēs, exarescat gramen id, prorsusq; deficiat. Id qualescūq; est, à Democrito tamē traditū est, vt asserit Sotion. Sed qui alieniores à superstitione sunt, arcanamque naturæ vim quādā contēplant, semina aiūt galli sanguine cōtingi debere, hæcq; ita fata ab Leone herba nulla postmodū iniuria affici.

IN V N D A T I O.

INcremētum verō Nili, quē N V M Aegyptiaca lingua nuncupant, quod apud Inos significat nouum atque recēs, ostendere cū vellent, leonis idētidē hieroglyphicum faciebāt: quippe cū Sol Herculei terga leonis adit, Nili diluuiū excitat, duplūmque recētis aquæ Sole in eo signo cōmorante sæpius exundat: quæ vis aquæ per spatiosā Aegypti planitiem latē diffusa, solum ea fertilitate grauidum reddit, qua nō ipsi tantū indigenæ sibi alimenta colligunt, sed magnā orbis partem fame leuāt. Propter eam verō aquarū redundantia, quā Leonis beneficio consequi se quotannis experiuntur, institutum est, & apud gētes omnes vno iam cōsensu receptum, vt canales, tubique & siphones, qui aquam eruclāt, per terebrata foramina in leonina capita ad id locis opportunis adsculpi solita aquam immittant, quæ inde ex leoninis ricibus euomi videatur. Quæ ratione autē capita ea leonum in simis præcipue constituenta sint, quōque ordine disponēda, atq; vt ea tantū quæ cōtra calumnas fuerint perterebrari debeant ad canalem vsque, qui cœlestē aquā ex tegulis excipit, reliquis inter hæc solidis, vt quæ cadit vis aquæ per tegulas in canalē ne deiiciatur per intercolumnia, nēue transeuntes perfundat, sed ea tantū quæ sunt contra columnas, ex ore ructus aquarum emittere debeāt, Vitruuius latē docet. Obseruauerat siquidem is, aquarum redundantiam per leonem apud Aegyptios significari, atque hoc in omnib; antiquorum ædificijs fieri pāsim viderat. Et vt semel dicā, fontes & aquarum tubi, qui ab aquæ ductibus quibuscūque prominebāt, leoninis figuris ornabantur: vt qui fons admirabili opere Viterbii antequam hęc disci

*Leonina
capita a
quæ erūt
diantia.*